



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XI. Bellum etiam iustè gerendum esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

adornant. Hæc merito consideranda veniunt, ne temere quis suam, atque alienam fortunam spe, metuque verset. Plus negotij Romanis tam provide bellantibus, alijque is, qui non timebatur hostis nocuit. Andriſcus vltimæ fortis homo, imaginarius Macedoniæ Rex Iuuentium prætorem cecidit, Numantini vna ciuitas annos quatuordecim restitit, & cælis exercitibus Romanis, pudendis fœderibus eos affecit. Cretes Marcum Antonium vicerunt, cum fiducia victoriæ plures catenas, quam arma in manibus haberet. Bello sociali Rutilius, & Cæpio cæsi, fugati: Iulius Cæsar exercitu amisso in urbem cruentus illatus est, tota Italia infestius, quam ab Hannibale spoliata. Bello serui Euno duce Manilij, Lentuli, Pisonis, Hyspæi castra cæsa sunt. altero vero, Athenione Rege, Seruilij & Luculli castra capta sunt; quia minore Consilio contra hostem contemptum itum est. Spartacus quoque & Socij, Clodij, Glabri castra diripere, deinde alia castra; in Apennino Lentuli exercitum Spartacus idem cecidit, Caij Cassij castra deleuit, quibus victorijs elatus de inuadenda vrbe Romana deliberrauit. Tandem vero totis imperij viribus contra Mirillonem confurgitur. Antenelectum; & temere bellum id gestum, donec periculo Consilia excitarentur. pauca narraui, sed nescio an toto imperij tempore, si bellum Punicum secundum excipias, tanto dedecore victi sint Romani, quam hisce in parergis, & contemptis hostibus, quibus se Imperatores sine maturo Consilio obiecerunt. sed cladibus didicerunt.

Βουλὴς γὰρ ὁρθῆς οὐδὲν ἀσφαλές ἐστιν
Ἰερὸν αὐτῶν ἐστὶν ἡ συμβουλία.

Consilio recto nihil tutius, sacra reuera res est Consilium. Sine eo sacro dum bella aggrediuntur: ceciderunt illud stultorum. Non putabam, quod in bello capitale est. Deinde id quoque pensandum: Neminem facilius opprimi eo, qui securus est. Nihil in bello contemni debet. Nec vocandi sunt timidi, qui cauti, ἀμαδία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ θυμὸν φέρει. Imperitia audaciam, ratio timorem adfert. Omnia ante bellum timenda proponas. Secundo: Ideo laudandi Spartiæ, qui ducem si temere, & sine consilio vicisset, morte multabant. Durius Cathaginenses, si errasset, in crucem agebant: quod tamen in solâ temeritate excusari supplicium possit. Nam temeritate ducis proditam patriam iudicabant, quamuis fortuna casum auerisset. Omnia enim prouidenda sunt, nec quicquam spernendum, cum paruis momentis agitentur casus regnorum. Fama constant bella, & ea sæpe conficiuntur.

Apud Romanos rei gesta ratio poscebatur, sed si quis ignorantia, aut calum rem male gessisset, nullo alio in periculo erat. Malitia pauci deliquerunt, Sergius & Virginius mutuo odio ad Veios magnæ claudicaulam dederunt, Sergius à Virginio æmulo collega auxilium petere noluit, Sergio Virginius non rogatus ferre noluit. Tardè itaque consulendum, qui cum multa præiuderis, ab infinitis lædēris, vnde non putabas. Consilia itaq; præeant. Consilio inito studiosè aggrediendum bellum, nam

Εν γὰρ χειρὶ τῶν πολέμων, ἐπείων ἐνὶ βουλῇ
In manibus finis belli, verborum in Consilio.

CAPVT XI.

Bellum etiam iuste gerendum esse.

§. I. PARS est iustæ esse, necessariaque bella nisi etiam iura belli seruentur, habent enim & ar-

ma suas, quamuis aduersa legibus, leges. Primo quidem bellum ex iusto aliquando iniustum atque execrabile redditur, cum per milites geritur, quos aduocasse in auxilium non oportuit. Deinde hinc fieri potest, vt iure merito vicini principes, ac Respublicæ possint ac debeant eos, qui ante iniquam causam fouebant, adiuuare, & iudicare causam istam esse factam iustam alterius partis vitio.

Si enim princeps Christianus cum alio bellum gerat item Christiano, milites vero Turcos, Tartarosve, aut alios infideles, & Barbaros inducat, non dubium quin grauissime delinquat, quamuis iustam bellandi causam habeat. Ratio est firma; quamuis enim altera pars peccarit, atque ad satisfactionem obligetur, non tamen tenebitur se barbaris in potestatem tradere, quod summo non modo corporum, sed animorum detrimento fieri certum est. Neque potest vllus princeps aut Respublica ab vlllo principe, aut Republica eam poenam exigere, vt Turcæ portam aperiat, summo discrimini subditos committat. Possunt etiam principes Christiani obfistere, & contra eum, qui infideles, fœderum contemptores, publicos omnium Christianorum hostes aduocauit, insurgere. Non enim hoc modo iniquæ causæ patrocinabuntur, sed cōmune periculum auerterent, q̄ non modo illis, quos contra vocantur barbari, & vicinis principibus, sed ipsi quoque qui vocantur, in perniciem verti solet.

Vsitatum est in seditionibus aduocare barbaros, & hac via Heruli, Alani, Gothi, Wandali, Longobardi imperiū inuaserunt. Palæologus contra Marcū Craconiciū Bulgariæ principem, cuius fiducia proceres eius rebellarant, Amurathem vocauit, qui lætus occasione primum pro Palæologo vicit, deinde Græciæ magnam partem sibi subiecit. Bellum iniustum gessit Palæologus, sed postquam barbaro & periuro milite vsus est, se, & regnum perdidit, & hostem validum Europæ immisit, qui nunc Italiæ, Germaniæ, & Hispaniæ claustra pulsatur. Hanc ob causam cauendum est; ne principes magni animi & celsi eo per vicinorum iniurias redigantur, vt ad hostem se se communem applicent. Ita Baiazetes dum victis Christianis Palæologum ad extremam desperationem adegit, ille inuocato Tamberlane liberatus est, Baiazetes parricidij, (nam minorem natu fratrem occiderat) & crudelitatis poenas dedit, caueat inclusus, & per ludibrium circumductus. Verum ad arma barbarorum reuertamur, 2. Paralipom. capit. 16. *Aſa iubetur exercitum ex Syria conductum dimittere; quin & iam Iſaphato cap. 19. dicitur; impio prebes auxilium & iis, qui oderunt dominum, amicitia iungeris.* Occurrunt tamen hoc loco, quæ subsidia illa tueantur. Nulla enim occurrit ratio, cur non omni genere militum vtamur, seu fideles sint, seu infideles, curenim cū mequis, elephantis, canibus vtamur in hostes, non liceat vti milite infideli, cum sint administri iustitiæ, nec in illis pietas, sed obedientia requiratur? Maccabæi cum Romanis iniere fœdus, & Demetrium Ionathas adiuuit. Quin & 1. Regum 18. 29. Dauid se iunxit Achi Palestinarum Regi. Denique in plerisque militum, qui Christiani vocantur, haud magna est religionis, & pietatis cura. Siigitur pios quærimus, castra deferenda sunt.

Responsum in promptu est. Natura ita comparatum est, vt in sui defensionem qualibet auxilia homines exquirant; neque attendant ad pietatem, vel peccata adiuantis: ideoque per se, & ex natura non est scelus vti milite improbo, vel infideli, sed quia tot mala inde nascuntur, vt omnino reddatur bellum illicitum. Quocirca princeps Christianus ditone sua per iniuriam pulsus, exulpo-

Armorum
etiam leges
sunt.

Barbara
auxilia non
aduocanda.

Turca nūc
quoque no-
stris dissidiis
immitatur.

Exul agere
nō debet, vt
Turca viri-
bus resti-
tuatur.

tius vitam innocentem agere debet, quam ad Turcam confugere, ut eius viribus restituatur. Nam subditos bellando conijciat in seruitutem, & cedes faciat, quod quidem licitum est; meriti enim sunt, eo ipso quod desciverunt. Id vero non modo caritari, sed iustitiae etiam legibusque repugnat, ut eos subdat infidelibus ut diuendantur, ad Mahometinum cogantur, ut Christianum orbem una ditio- ne subducta, faciat infirmiores, Turcarum vires adiecta augeat, nec bonum quod inde expectat tanti est. Imperium enim precarium sub Barbari fastuoso sceptro tenebit, donec illi collibitum sit. Quod si certum sit barbaros infideles humaniter acturos, victoriaque ex mente principis vsuros, captam multitudinem non abducturos, exercitum deportaturos, nullum ius sibi vendicatos, uti eorum opera poterit, sed hoc idem est, ac si barbaros infideles esse barbaros neges. Id factum haec- tenus nondum est, ideo fore, non est sperandum. Nunquam itaque prudenter inducuntur in patriam, semper legitime repelluntur.

Crudelitas
praeliorum
vitanda.

§. 2. Ut in ipso bello iustitia seruetur, ea omnia damna inferre licet, quae ad puniendos reos, satisfactionem & securitatem Reipublicae stabilien- dam pertinent, cum ultra eas metas progreditur vindicta, iam bellum iniustum est. DOMINVS DEVS sane crudelitatem praeliorum abominatur. Achaz Rex Iuda Dominum offenderat, & manibus Regis Israel traditus est. 2. Paralipom. 28. Occiditque Phacee filius Romelia centum viginti millia, in die vno, omnes viros bellatores, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum. Ceperantque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infan- tam praedam. Sed quid Propheta Obed in tanta laci- tia? Ea tempestate (inquit Scriptura) erat ibi propheta Domini, nomine Obed: qui egressus obviam exercitui veni- enti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus DEVS Patrum vestrorum contra Iudam: tradidit eos in mani- bus vestris, & occidistis eos atrociter, ita ut ad Caelum per- tingeret crudelitas vestra. Insuper filios Iuda, & Ierusa- lem vultis vobis subicere in servos & ancillas, quod nequa- quam factu opus est. peccastis enim super hoc DOMINO DEO vestro: sed audite consilium meum, & reducite capti- vos quos adduxistis de fratribus vestris: quia magnus furor Domini imminet vobis. Steteruntque itaque viri de princi- pibus filiorum Israel, Azarias filius Iobanam, Barachias fi- lius Mosollamoth, Ezechias filius Seilum, & Amasias filius Hadat, contra eos qui veniebant de praedio & dixerunt eis, Non introducetis huc captivos, ne peccemus Domino. Qua- re vultis adicere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israel. Dimiseruntque viri bellatores praedam & universa quae ceperant coram principibus & omni mul- titudine. Steteruntque viri quos supra memoravimus: & ap- prehenderunt captivos, omnesque qui nudi erant vestierunt de spoliis: cum vestissent eos, & calceassent, & refecissent cibo ac potu, vinxissentque propter laborem, & adhibuissent eis en- ram, quicunque ambulare non poterant imbecillo corpore, imposuerunt eos in mentis, & adduxerunt Iericho ciuita- tem Palmarum ad fratres eorum, ipsique reuerfi sunt in Sa- mariam. Hic excessit medicina modum, & vindicta mensuram delicti, ideo ingens furor Domini immi- nebat, non quod iniustum initio esset, sed quod in bello iusto esset iniusta atrocitas. Itaque etiam prin- cipibus dum iusta bella suscipiunt, cauenda est mili- tum sauities, ne gens ad immania velox, in ipsa vi- ctoria Deum irriter.

§. 3. Compensatio non est aestimanda damnis ho- stium, sed commodo victoris. Damna enim ho- stium ingentia esse solent. Quaecunque in praedio miles rapit, iure belli retinet, nec ad satisfactionem pertinent. Aequa plane lex est, ut quae in praedio capta

sunt, iure capientium esse censeantur. Ad animan- dum enim militem necessaria est ducum liberalitas. Deuteronom. 20. Omnibus praeda diuidenda exercitui dicitur, hoc quidem hosti detrahitur, sed est merces mi- litum, nam in bello iusto, pars, quae iniquam causam defendit, stipendia militum, & quicquid sumptuum est, restaurare cogitur, armatos interficere licitum est, vrbes possidere, aliaque facere, quia omnia illa ho- stes faciunt, & conantur.

§. 4. Bellum etiam iniuste geritur in quo occi- duntur innocentes: quamvis aliqui causam habeat iustam. Duobus autem modis occidi innocens po- test. primo is qui cognoscitur esse innocens, ille ut per se, & directe occidatur, sine peccato fieri non potest. Exod. 23. Infontem & innocentem non occides. & Deuter. 24. Non occiduntur filii pro parentibus. Causa ex natura sumitur, quia poenam sustinere non debet, qui est extra culpam, causa belli est iniuria, qui abest ab iniuria, belli expers esse debet, par autem est ratio ciuitatis subdita, & externa; nam si Thessa- lonica deliquit, non tamen Theodosius eadem poena inuoluere iustos, & seditiosos potuit, nec plus iuris in externos habet, quorum iudex factus est, non alia ratione, quam illorum noxa. Hinc Deu- teronom. 20. paruuli & innocentibus parcendum DEVS pronunciat. Innocentes autem praesumuntur pueri, mulieres, clerici, nisi pugnarint, aut pugnantes iuuerint. Innocentes etiam aliquando integre exercituum partes esse possunt; quicunque enim principem suum iustam causam tueri arbitrantur, quamvis arma gerant, si modo sit ignorantia in- culcata, innocentes censendi sunt, ideoque occidi non possunt, quasi legitime damnati, per se, & di- recte.

§. 5. Innocentes tamen occiduntur per acci- dens, ut loquuntur Philosophi. Hoc vero vel ideo, quia praesumuntur nocentes, ut cum omnes qui sunt militari aetate post victoriam occiduntur, quia armis, consiliis, auxiliis iuuissse iudicantur, nec miles causas audire singulorum & diiudicare potest. Hinc DEVS paruulis duntaxat parcat, & mulieribus procul dubio si viri aequae innocentes esse cognoscerentur, deteriore conditione non es- sent.

Deinde quamvis constaret multos esse innocen- tes, quia tamen sine illorum caede, bellum geri non potest, possunt occidi, cum enim tormentis verbera- tur ciuitas, eodem in periculo sunt nocentes pariter & innocentes. Tertio, cum diripienda ciuitas datur, passim nullo discrimine obuii sternuntur, & co- cedere tamen praedam totius vrbs imperator po- test; quamvis prauideat multos innocentes esse pe- rittiros; imo si innocentes mœnibus imponant, ius suum persequi potest. Factum est in obsidione Nicææ ubi crudelitas, heroicus animus, & ars certarunt. Vrbem oblidebat Andronicus, cum arietes machi- nasque concidi, incendi, dissipari videret, crudele con- silium inuit, ut arieti matrè Ilacij Angeli, qui tum Ni- cææ erat, imponeret, eoque modo oppugnatores li- beros redderet. Historiam narrat Nicetas in Andro- nico; Quare Andronicus cum sua Consilia successu carere videret, inhumanum facinus molitur, à paucis ante vsur- patum, matrem Isacii Angeli Euphrosynam, Bizantio ac- cerpsit, nunc ut propugnaculum machinè apponit, nunc ea arieti imposita mœnia ferit, ut eodem tempore & spectaculi nouitas, & trucidandae immanitas à nul- lo scelere abhorrens, miserationem: & muliercu- lae tolerantia, non ipso metu examinata, in tanto tamque periculo impetu admirationem haberet, ac tum primum videre mortales, teneram mulierculam defensionis ergo ferro prepositam, ac mirabiliter in- uerso ordine, fragile corpus hominis firmissimis machinis

Innocenti
parcendum.

Innocenti
occidi quan-
do possunt.

Inge-
gat
stat
ren-

Fin
pax

Fortis ani-
mus inter
pericula.

machinis adiunctum, ut qui ex iis pugnabant, incolames manerent. Tela vero è manibus aque ac prius, sed tanta cautione eiciebantur, ut illa nobili muliere, quasi illa nutibus & manibus iacula à se auersa in hostium corda defigeret, hostes & ferirent & terrent. Immane istud facinus adeo nihil Andronico profuit, ut Nicaenses facili noctu eruptione, & machinas incenderent: & muliere fune in urbem attraxit, eum tanquam Phineum ab Harpyis spoliatum, plorare sinerent, non habentem quo famem iracundia sua expletet: Ita Nicaenses ab ipsius hostibus laudem fortitudinis consecuti, maiores animos conceperunt, atque audacius pugnauerunt non mœnia tantum strenue defendendo, & Andronicum diceris incescendo, ut lanium, canem, sanguinarium, putre filicernum, malum immortale, hominum furiam, mulierosum, Priapum Tithono & Saturno annosiores: denique nullo turpissimæ rei vocabulo abstinendo, sed etiam relictis propugnaculis portis erumpendo.

§. 6. Hinc fit, ut interdum utraque pars gerat bellum iustum, cum nocentis Reipublicæ pars aliqua innocens est, quæ se iuste defendit, ut innocentem; altera eam ut nocentis Reipublicæ partem oppugnat. Hic quiddam simile est in eo, qui secundum allegata & probata, sed iniuste damnatus est, qui & iuste se defendere potest, & iuste eum damnat iudex, quia secundum leges, iniusta est damnatio, quia est innocentis.

§. 7. Innocentes tamen spoliare possunt, quia in bona potestatem habet maiorem Respublica, quam in vitam innocentis; propter commune commodum priuati bona potest auferre, vitam non potest. Leges tamen quæ positæ sunt obseruari debent, ut Anno 1570. articulo sexagesimo nono. aratrum nemo spoliaret, nec molendinum, nec furnum, & quicquid communi vsui accommodatum est, siue amicorum sit, siue hostium, absque licentia, nihil horum destruat, frangatue; nec vinum, frumentum, farinam proteruia effundant, corrumpantue. Violatori mors pœna esto. Eadem pœna vetatur, ne quis senes, sacerdotes, concionatores, mulieres inermes occidat.

Pœna autem quæ in bonorum, & libertatis amissione consistit, ob magnas causas infligi innocentibus potest. Id vero omnibus bellis fieri solet; nam cum Deus spolia permittit militibus, cum iubet ciuitatem seruire sub tributo, pœna illa omnibus etiam posteris imponitur. Damni vero illati causa est princeps, qui iniquam causam tuetur, tenetur vero ille innocentibus sua restituere.

CAPVT XII.

Finem belli legitimum & honestum esse oportere.

§. 1. FINEM belli bonum esse posse constat, quamuis bellum ipsum sit iniustum scelerateque geratur: Petest etiam in bello iusto finis esse malus; utroque modo, bellum malum est. Belli generatim finis est pax, nec quisquam hoc negat, sed in eo controuertunt, quia alteri alter pacem suam imponere nititur, commodam sibi, molestam socijs. Augustinus libr. decimo nono de Ciuit. capit. duodecimo, in plerisque bellis hunc finem notauit. Quod enim mecum, inquit, quisquis res humanas, naturamque communem utcumque intueretur, agnoscat, sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud quam vincere volunt: ad gloriosam ergo

pacem bellando cupiunt peruenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? Quod cum factum fuerit pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella. ab his etiam qui virtutem bellicam student exercere imperando, atque pugnando. Nam & illi qui pacem, in qua sunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. Non ergo ut sit pax nolunt, sed ut ea sit, quam volunt.

Nemo aliud sentit, sapientes pacis causa bellum gerunt, laborem spe oculi sustentant. ita & recte dictum signus è πολέμος πρὸ τῆς εἰρήνης, pacis altor est bellum. Itaque & Cicero bellum ita iubet suscipi, ut nihil aliud quam pax quaesita esse videatur. Paci enim militari debet fortitudo debellandi.

§. 2. Bellum cuius finis non est rectus, si alioqui iustum sit, ut cum Romani specie Græcos adiuuant, animo Macedoniæ imperium destinant, iustum quidem est, si causa Atheniensium iusta sit; virtuti tamen mista cupiditas facit ut malum sit, & male geratur. neque enim tam commoda sociorum, quam regnum propositum est, auditati Romanorum. Haud mediocriter hoc loco delinquant etiam principes, Tribuni, & milites, qui quamuis iustam habeant bellandi causam, odio tamen suo obsequuntur, publica commoda negligunt.

Ac primo quidem peccant contra caritatem, cum meritas pœnas exigunt amore vindictæ, non Zelo iustitiæ; hinc crudelitas in corpora, incendia, contumeliæque nascuntur, nec æstimant hoc rudes animi, sed æmulatione mutua, vel cladibus exasperatæ belligerantur.

Deinde quamuis peccent, non tamen damna restituere tenentur, quia merito intulerunt, sed modo non licito.

Tertio. qui in bello alioqui iusto, mala intulit subditis principis, qui bellum iustum indixit, ad restitutionem tenebitur.

CAPVT XIII.

Bellum auxilio Dei, summaque pietate gerendum esse.

§. 1. IMPIA vox est: Ducem belli non posse esse iustum; Dux belli quod adeo multa occurrant, quæ suadeant, iustus sit. vel cogant iniustum esse. Bello namque indicto laxantur vitia subditis, & militi. Si disciplinæ militaris diligens exactor sis, si prædas ex pacato, iniuriæque prohibes, stipendiaque soluenda sunt, & sine mora; si paululum indulges, si deest pecunia, non mediocres iniuriæ subditis inferentur. sed quantas concipere solet licentia militaris. Hoc igitur in discrimine constituta est innocentia Ducis. Sed tamē si bellum necessariū suscepit, cum euentum præstare non possit, omnia damna in auctorem redundant. Si compescere militem non possit, ne satis subditos tueri, conscientia eum solabitur, si nihil omisit, quo minus recte omnia administrarentur.

§. 2. Non modo in bello iusticiam, sed etiam Exercitus in extremis periculis pietatem militum, & Ducis exposco. Cum enim magna mortis pericula impendent mortaliter delinquant, qui se ad ea non comparant: itaque bellum Christianorum tale esse oportet, ut castra sint Ecclesiæ non dissimiles, sunt enim castra cætus euntium in mortem. Hinc bello finis prosper, & singulis victoriæ à Deo pendenda

Sss 2 tenda

Ingens obligatio iniusti bellis gerentis.

Finis belli pax.